

No. 614. 1372. 11. März.

B. Conrad bestätigt eine von Johann von Miltitz zu Miltitz in der dasigen Pfarrkirche sowie der Domkirche zu seinem und seines Geschlechts ewigen Seelenheil gemachte Stiftung.

In nomine domini amen. In nostrum redundare salutis augmentum non ambigimus etc. Nos itaque Conradus dei et apostolicae sedis gratia episcopus Misnensis — notum facimus universis, quod strenuus Johannes de Milticz, fidelis noster dilectus, miles residens in Milticz inspiratione divina salubriter ammonitus, cupiens de bonis caducis et transitoriis a deo sibi collatis aeternae quietis et beatae immortalitatis immarcessibilem sibi comparare mercedem, salutis suae non immemor in suorum, dilectaeque Mechthildis coniugis suae ac heredum ipsius remissionem peccaminum nec non ob animarum progenitorum, parentum et fratrum suorum defunctorum remedium salutiferum, quatuor sexagenas et quadraginta octo grossos Fribergenses, triginta octo pullos et octo sexagenas ovorum census annui siti in bonis et pago villae Mutschzewicz^{a)} situatae ac iacentis prope villas Hofechin^{b)}, Bratirswicz^{c)} et Penewicz^{d)} spectantis ad parrochiam in Russin^{e)}, solvendi annuis singulis per infrascriptos censuales et eorum in bonis praedictis successores, quae siquidem bona a nobis et ecclesia nostra Misnensi procedunt et habentur in feudum, ecclesiae suae parrochiali in Milticz — dedit ac donavit ad usum infrascriptum, renuncians pro se suisque heredibus et successoribus omni iuri et actioni sibi in praemissis censibus competenti, exactione seu precaria cum omnibus iudiciis altis et bassis, hereditariis sive sanguinis et collatione honorum praedictorum pro se suisque heredibus et successoribus reservatis et exceptis. Quem quidem censum cum pullis et ovis plebanus ecclesiae in Milticz qui pro tempore fuerit perpetuis temporibus tollere et percipere, ac de ipso collectori seu administratori reddituum capitularium ecclesiae Mynsensis in omnem eventum in festo Martini duos sollidos grossorum et in festo Walpurgis similiter duos sollidos grossorum praedictorum annis singulis dare et persolvere teneatur, ita videlicet, quod in ecclesia Misnensi praedicta in crastino sive sequenti die post festum nativitatis Mariae iuxta ordinationem et affectum Johannis militis antedicti singulis annis quoadusque supervixerit una missa, videlicet ‚Salus populi‘ pro ipsius, uxoris suae et heredum suorum viventium salute debeat decantari. Et tunc collector sive administrator praedictus praefatos quatuor sollidos grossorum Fribergensium debebit in hunc modum, utputa dominis canonicis emancipatis et integratis, decima hospitalis et pretio campanatoris inclusis triginta grossos et perpetuis ac temporalibus vicariis in missa eadem praesentibus decem et octo grossos ministrare. Postquam autem idem Johannes de praesentis vitae medio fuerit evocatus, praedictus collector seu administrator reddituum capitularium memoratos quatuor sollidos inter canonicos et vicarios ecclesiae praedictae in vigiliis et missa defunctorum praesentes in die anniversario obitus praefati Johannis in ecclesia Misnensi saepedicta peragendis iuxta modum praeexpressum dividere et distribuere teneatur. Residuam vero seu super-

a) Mutzschwitz, Par. Rüsseina. b) Althöfchen, ders. Par. c) Praterschütz, Par. Leuben. d) Pinnewitz, Par. Rausslitz. e) Rüsseina, Eph. Meissen.